Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25990

Copyright: Admont, Benediktinerstift

Timor domini initium dilectionis eius. Item mentis il-
luminacio. Eccl. i. Timor domini scientie religiosi-
tas. Item cordis dilectio. ibidem. Timor domini delectabit
cor. Item spiritus iubilacio. ibidem. Timor domini
gloria et gloriacio. Item mortis securitas. ibidem.
Timenti dominum bene erit in extremis. Item future
felicitas. ibidem. Et in die defunctionis sue benedi-
cetur. In timore tuo etc. scilicet filiali. Sunt in-
casti(?) quia proprie est timor domini. Timor vero servilis
et timor humanus et timor mundanus non est
timor domini, nisi quam eloquium domini statum possit
et exigi et firmari. Sed est timor sui(?). timor carnis
et timor mundi. Et istis timoribus non timet ne
deus recedat, sed ne veniat, et timet ne fiat
separacio a carnis delectacione et mundi oblecta-
cione experimentali presenti vel eterna possessione.
Servilis est timor servilis in quo(?) introducit filialem
sicut acus filum. Sed introducto timore filiali ces-
sat servilis sicut acus introducto filo ipsa penitus(?)
sit. Sed filum manet. Iohannis iiii. Perfecta caritas
foras mittit timorem. Hanc caritatem concomita-
tur timor filialis in puro quo ad metum separacio-
nis et casto quo ad exhibicionem reverentie filia-
lis deo post(?). Timor domini sanctus permanens in se-
culum seculi et cetera. VII.

Amputa obprobrium meum quod sus-

Petita et obtenta sui confirmacione
in timore filiali petit iustificari
in se timore servili qui est timor pene propter re-
atum culpe. quia cum peccatum actuale transit actu
remanet reatu. de quo reatu obligante ad pe-
nam nescit homo certe vel quando sit absolutus. sicut nec
scire potest plene omnia peccata sua. quia quedam sunt
publica et propria recognita. de quibus dicitur. Conclu-
sum(?) meum cognitum est tibi. quedam non sunt occulta vel
aliena vel non recognita. de quibus dicitur. Ab occul-
tis meis munda me et ab alienis parce servo
tuo. quia delicta omnia nemo intelligit. capitulum x(?).

rememorari vel recognoscere. non quo ad actum
ut utrum sit factum, non quo ad culpam ut utrum in hoc
deliquerit, non quo ad reatum ut utrum sine(?) contraxit
et quam sine pena incurrerit. Unde dicit. i. Cor. iiii.
Nichil michi conscius sum, sed non in hoc iustificatus
sum. Unde merito potest homo semper timere et suspicari
hunc statum suum. Iob ix. Verebar omnia opera
mea. Unde subdit. Si fulserit velud mundissime
manus mee et si lotus fuero aquis nivium, tamen
sordibus intinges me. Ideo homo metus est de
culpa multo magis de pena. Eccl. ix. Nescit
homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia
in futurum servantur incerta. Quod autem ex ig-
norancia vel oblivione vel errore non recogno-
vit plene peccata sua nec quo ad actum nec quo ad cul-
pam nec quo ad reatum, hoc vocat obprobrium suum, propter
quod de pena multo habuit timorem suspicionis vel
suspicionem timoris habere debuit. Non quod ipsa
ignorancia, error vel oblivio sit peccata, sed est
homini in obprobrium temporaliter. Communiter est obprobrium inexcu-
sabilis culpe. unde est obprobrium condicionis persone. unde
est obprobrium status iusticie(?) quia sicut patet quia ibidem obprobri-
um vel refertur ad omnia peccata commissa pu-
blica et occulta propria vel aliena, certa vel incerta.
et sic est simpliciter obprobrium inexcusabilis culpe, de
quo orat ecclesia in prosa. Obprobriorum receptor hos ut
probra nostra diluas. Aut refertur non ad omnia
sed ad quedam. et hoc potest esse dupliciter. vel ad quedam publi-
ca et occulta propria et aliena, certa et incerta. et sic
est obprobrium condicionis persone. quia aliter aggra-
vatur ista culpa circa clericum, aliter circa laicum, aliter
circa religiosum, aliter circa litteratum, aliter circa in-
peritum. et sic de singulis personis. Oportet repleta est
anima nostra obprobrium habundantibus scilicet angelis ha-
bitantibus in gloria vel perfectis hominibus in hac vita
detestantibus talium inpuritatem et inprudenciam et
despectio superborum scilicet demonibus insultantibus ad
penam. vel ad quedam occulta vel aliena. sed in